



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Quibus Univerſa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XXXIII. De principio durationis creaturarum, & prima rerum  
productione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



rum naturis ac virtutibus se suauiter accommodant. Neque verò tanti operis est educere aliquid ex subiecto præsupposito, vt debeat cenferi excedere omnem facultatem creaturarum, ita vt illis communicari nequiverit.

54. Non obest etiam quòd Scriptura interdum Deo tribuit ea quæ dicimus fieri à creaturis: vt educere ventos de thesauris eorum,

dare pluuias de cælo, vestire præterea coagulare sctum in vtero, ac denique omnia in omnibus operari, vt dicitur 1. Cor. 1. Hoc enim idè dicitur, quia nihil fit à creaturis, quod non fiat etiam à Deo immediate conueniente, vt prima & vniuersali causa, ad omnes & quoscunque effectus causarum secundarum, vt ostendimus disputat. 34. seq. 2.

DISPUTATIO TRIGESIMA TERTIA.

De principio durationis creaturarum, & primarum rerum productione.

- Sectio I. An Deus ab æterno aliquid creauerit, vel creare potuerit?
- Sectio II. Quònam ordine Deus Vniuersum creauerit?
- Sectio III. Resumat contraria sententia.
- Sectio IV. Soluuntur duæ difficultates circa successionem & ordinem creationis.



MATERIAM huius disput. fusissimè tractat S. Thomas, partim quæst. 46. vbi docet mundum non semper fuisse; quamuis esse potuerit, si Deus ab æterno creare voluisset; neque demonstratiuè vlla ratione oppositum probari possit: sed per fidem, & reuelationem diuinam habetur fuisse creatum in principio temporis, vt habetur Genes. 1. Partim etiam quæst. 63. & nouem consequentibus, in quibus prolixè disserit de creatione nature corporeæ, & de opere sex dierum, tam in comuni, quàm in particulari de singulis operibus, quæ vnicuique diei assignantur à Moysè, capite citato. Quæ omnia breuiter sequentibus sectionibus comprehenduntur, & omissis facilioribus, atque in textu ipso D. Thomæ perspicuis, ea quæ habent aliquid difficultatis elucidabuntur.

SECTIO I.

An Deus aliquid ab æterno creauerit, vel creare potuerit?

Væcunque alia præter Deum existunt, fuisse producta in tempore post ipsorum non-existentiam, ita vt Deus solus ab æterno existeret, & duratione infinita creaturam omnem præcesserit, docet S. Thom. tota q. 46. estque de fide, vt patet primò ex Scriptura Genes. 1. vbi narratur Vniuersi molitio, & prima rerum creaturarum productio non ab æterno, sed paucis diebus ante Adamum, cuius vita finitorum annorum, nempe nonagntorum & triginta, habetur ex Genes. 5. v. 5. & ab illo ad Christum gener-

tionem finita Luc. 3. à v. 23. Item Pro. 8. v. 22. clarè significatur nihil fuisse factum ab æterno, quando Sapientia increata sic loquitur: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret in principio, antequam terra fieret &c. Et Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.

Patet secundò ex Concilijs, Lateranensi, cap. Firmi in professione fidei, quæ sic habet: Deus ab initio temporis simul vtramque de nihilo condidit creaturam spiritalem & corpoream &c. Et in VI. Synodo Generali, actione XI, in professione fidei Sophronij, quæ approbatur actione 13. sic habetur: De principio visibilis mundi constitutione fateor, quòd omnia non tantum visibilia, sed & inuisibilia vnus Deus condidit, illa sempiterna natura qua nescit exordium; & ex non-existentibus protulit vt esserent, principium omnibus temporale constituens.

E E e



Aristot.

Eundem olim fuisse sensum omnium nationum testatur Aristoteles 1. de celo cap. 10. 102. Cui male se ipse opposuit: ac potius meminisse debuit eius quod dixerat 10. Eth. cap. 2. Quod omnibus videtur, id esse affirmatum: qui vero hanc fidem tollit non admodum probabiliora dicturus est. Habet autem hic specialem vim auctoritatis: quia est quaestio de facto aliquo, quod hominum memoria conseruauit.

3.

Perer.

Varias eiusdem veritatis coniecturas naturales affert Pererius in cap. 1. Genes. circa illa verba: In principio creauit Deus caelum & terram: & lib. 15. de principijs, vbi etiam Aristotelis & aliorum Ethnicorum argumenta in contrarium soluit. Ratio summa est Dei voluntas, qui pro sua libertate condidit quando voluit licet prius ac prius in infinitum creare potuerit. Non desunt tamen e Philosophis Christianis & Theologis, qui non modò negent mundum ab aeterno fuisse productum: verum etiam potuisse produci. Sed argumenta quae profertur, quantumcumque habeant apparentem & difficultatis inexplicabilis, non conuincunt omnino: habentque instantias in contrarium non minus difficiles. Atque illa ipsa quae demonstrationis speciem magis habent contra aeternitatem motuum & productionum successiuè factarum, retorqueri possunt in ipsam Dei aeternitatem virtualiter existentem & successiuam per infinitum & interminabile tempus imaginariam. Multa etiam in aeternas productiones personarum diuinarum aequè pugnant, & actus Dei liberos. Quare sapientius

Peruenit mundus creari ab aeterno

D. Thom.

D. Thom. q. 46. art. 1. & 2. affirmat mundi inceptioem in liberam Dei voluntatem reuelatione nobis manifestatam, referendam esse.

Non potuit cum successione qualis nunc est.

Aduertendum tamen est, aliud esse loqui de aeterna mundi productione, quoad aliquas tantum partes, vt caelos, & elementa: & aliud, loqui de aeterna illius productione, quoad omnia genera, & species rerum, ex quibus constat, aliorumque ex alijs productionem, & successioem, qualis nunc est: ita vt ab aeterno fuerint generationes hominum ex hominibus, leonum ex leonibus, & sic de alijs. Primum enim pure sua inuoluerit contradictionem: secus autem secundum. Quia cum ita illam suppositionem, necessarium sit aliquem hominem determinatum à Deo solo produci, & ab illo ceteros successiuè: daretur primus homo, qui finita solum duratione, puta triginta annorum, ceteros omnes præcederet. Atque ita daretur primus duratione in aeternitate, excedens tantum finitè durationem finitam reliquorum hominum: quod vito manifestam contradictionem inuoluerit. Neque enim minus aeternitati repugnat habere primum in duratione, quam vltimum. Et euidenter implicat durationem esse aeternam, id est, interminabilem, ac simul esse

terminatam, vt est, si habet primum, & vltimum. Implicat etiam ex duabus essentialibus durationibus fieri vnã infinitam: & finitam durationem reliquorum hominum fieri infinitam, & aeternam à parte anteriori additis solum triginta annis, quibus eos præcessit homo ille immediatè à Deo productus, & ceterorum parens.

Sicut tamen qui existunt, inter quos esse videtur D. Thom. art. 2. q. 46. possibiles fuisse generationes hominũ ab aeterno, quales nunc sunt, ita vt semper ab aeterno alij alios generarent, & in eo casu quo id contingeret, dicitur nullum fore à solo Deo productum, sed quemlibet hominem fore ab alio homine: neque propterea totam hominum collectionem fore ab alio homine: quia iniquum, non valet illatio à singulis ad totum, propter infinitatem in modo illo accidentali successioem aeternae aliorum ab alijs, & in prædicato Ingenti, id est, prius tempore ante omnes alios à Deo solo producti, quod prædicatum ad quantitatem pertinet & successioem temporis. Sed tota collectio esset à Deo, à quo singuli pendunt essentialiter, & quibus omnibus indiuiduis atque toti collectioni dat esse, velut causa per se & essentialiter necessaria, ac fundamentum existentiae omnium, totiusque collectionis, seu speciei, de se insufficientis vt sit. At nullus pendet essentialiter ab alio homine: per accidens verò quilibet est ab alio, & nullus est ante quem non sit alius concurrentes ad illius generationem. Ratio verò cur hoc, quamuis intellectu difficillimum, & meo iudicio impossibile, affirmari coherenter loquendo, est illa, quam supra diximus. Nimirum quoniam alioqui daretur primus homo (ille scilicet à Deo solo productus) qui duratione tantum finita, puta triginta annis, secundum à se immediatè productum præcederet: ac proinde non esset aeternus; aut ex finita duratione secundi cum sequentibus, & finita duratione triginta annorum quibus præcessit primus, fieret duratio infinita, & aeterna à parte ante, quod est absurdum & impossibile. Nam quod resultat ex duobus finitis est finitum: Et duratio finita à parte ante non potest fieri infinita & interminata, per additionem triginta annorum.

Si obijcias cum Vasq. dis. 77. num. 17. Ex eo quòd Deus sic primus ans per essentialiam & causa ceterorum omnium, necessarium esse deuenire ad aliquod ens à solo Deo productum, & ex quo cetera deriuentur in serie generationum aut productionum successuarum, & fieri non posse vt Deus de nihilo fecerit esse in mundo generationes, & tamen primam rem ab eo creatam assignare non possimus? Respondent, Deum in eo casu non fecisse ex nihilo existentia actuali, quasi aliquando non fuerint actu generationes: sed tantum virtuali, quia potuerunt non esse, licet de facto semper fuerint: & ideo quia semper fuerunt alia ante alias, hinc est quòd prima generatio, & prima res ab eò creata,

Contra

Vasq.



in tali serie assignari non potest, quia non est Deus, tamen solus fuit prima causa efficiens omnium generationum. Non quod solus hanc aut illam produxerit: sed quatenus sua efficaci voluntate & omnipotentia fecit ut ab aeterno essent generationes, deditque hominibus ut essent, & alij alios generarent. Simile quid habet Fazolus qu. 2. art. 3. dub. 2. circa finem.

Fazol.

Refutatur.

Sed hæc responsio non sufficit ad vitandam contradictionem. Nam tota illa hominum collectio non habet in seipsa principium sufficiens existendi, & virtutem extrahendi se de nihilo actuali, aut virtuali; cum sit essentialiter ens ab alio. Ergo debet existere vi alterius: & si habet virtutem generandi, & seipsum propagandi successivè, debet illam accipere ab alio, qui sit extra totam illam collectionem, nimirum à Deo. Est autem impossibile, ut illam accipiat ab aliquo extra totam illam collectionem, & priori, saltem naturæ ordine, tanquam principio extrinseco, toti illi collectioni præsupposito; nisi aliquod tantum individuum illius collectionis processerit immediatè à Deo solo, & ab illo acceperit virtutem generandi, à qua procederent cæteri homines, simili modo, quo nunc omnes procedunt ab Adamo. Loquimur enim de simili ordine successione, non autem de illo, in quo Deus ipse infinitos homines se solo immediatè, & successivè produceret ab aeterno, quod non potest esse impossibile. Sed omnino impossibile videtur existere homines, siue finitos, siue infinitos à parte ante, absque eo quod vel omnes immediatè à Deo solo producerentur, ut Angeli: vel plures, aut unus aliquis; qui accepta virtute à Deo posset alios successivè generare. Est enim necessarium, ut virtus generandi successivè communicata hominibus, quam non habet collectio ex se sola; & sine beneficio causæ extrinsecæ, nimirum entis à se, à quo pendet essentialiter omne ens ab alio, tam collectivè, quam distributivè: Est, inquam, necessarium, ut illa virtus exeat à Deo immediatè: & non potest ab illo exire immediatè, nisi in aliquo individuo immediatè producto à solo Deo, loquendo de successione generationum, qualis nunc est. Non potuit autem tale individuum à aeterno generare successivè, ut argumentum supra factum convincit, & fatetur adversarij. Quare potius negandum est mundum ab aeterno creati potuisse cum successione generationis hominum, qualis nunc est.

Verum tamen est, quod illi addunt, in creatione ab aeterno, non posse distingui instantans creationis præcisè, à conservatione. Sed in quocunque instanti, vel tempore assignato, est conservatio; quia res ante præexistit. Alioqui daretur primum instantans in aeternitate. Similique de causa non dari primum actionem temporaneam, aut primum motum localem, aut primum ubi, quod ad tempus habuerit res ab aeterno creata. Sed

Creatio ab aeterno non potest distingui à conservatione.

ante quamlibet talem actionem fuit alia; & ante quemlibet motum temporaneum fuit alius: & ante hoc ubi fuit aliud. Alioqui daretur primum in aeternitate, quod tempore finito tantum, excederet reliqua post secuta. Quod æquè implicat, ac dari ab aeterno productionem primi hominis, à quo deinde reliqui successivè generati sint. Itaque si mundus fuisset ab aeterno productus; sol v. g. non fuisset primò creatus in conjunctione cum luna, aut extra conjunctionem, neque in parte Orientis aut Occidentis, aut aliqua intermedia. Sed ab aeterno fuisset infinites lunæ conjunctus: quia ante quamlibet separationem præcessisset alia: & infinites fuisset in parte Orientis, & in qualibet alia circuli per quem moveretur: ita ut nunquam fuerit primò in illa ex his partibus.

SECTIO II.

Quoniam ordine Deus vniuersum creauerit?

Ordinem illum describit Moyses cap. 1. Genes. Circa cuius narrationem omnino certum puto literaliter accipiendam esse: ita ut Deus quæ narrantur à Moyse sex diebus producta, non produxerit simul omnia, sed successivè, & ad literam, prout ibi describitur. Primò scilicet die cælum, nempe empyreum, & si quod est aliud supra firmamentum, factum secundo die: itemque terram, aquam, & lucem, aquis & faciei abyssi (ubi prius tenebræ) successivè per totum hemisphærium infusam, ad differentiam diei & noctis, mane & vesperi, ut habetur Genes. 1. à v. 1. ad 5. Die secundo firmamentum in medio aquarum Hebraicè *raquim*, expansionem, id est, omne corpus interiectum inter aquas circa terram relictas, & inter aquas superiores tali firmamento, quod ita sua præsentia interiecta diuisit aquas ab aquis, ut habetur v. 6. & 7. Tum die tertio, ex terra aquis discooperta, in aliquos alueos & concauitates relictis, produxit plantas, herbas virentes, ligna pomifera, v. 11. & 12. Die quarto, Solem, Lunam, & stellas in firmamento, id est, in illa expansione, de qua supra, quæ parte continet cælum stellarum, & cælum planeticum, v. 14. & verbis sequentibus. Die quinto, auras, & pilces, ex aquis, v. 20. & 21. Die sexto, bruta terrestria ex terra ipsa: & primum hominem ex limo terre, & eamque ex ipsius costa, v. 25. & deinceps. Die deinceps septimo requieuit Deus ab vniuerso opere quod pararat, id est, à hominibus generandis aut speciebus condendis, quæ in virtute rerum tum productarum non contineantur, & illis exigentibus producantur deinceps, Genes. 2. v. 2.

Ord. creationis vniuersi.

NO



7.  
Probatur  
secundum  
fuisse pro-  
ductum fac-  
cessive.

Hæc, inquam, ita ut narratur successiue producta fuisse, & non simul vnico instanti, probatur primo, quia Scripturæ verba, præsertim ea quæ historias rerum gestarum continent, sunt, quoad fieri potest, in sensu proprio, literali & historico accipienda. At qui notissimum & certissimum est, à Moysè toto Pentateucho scribi historiam eorum, quæ ab initio mundi ad sua usque tempora contigerunt. Ergo ipsius verba de mundi creatione, & de modo quo Deus vniuersum produxit, intelligenda sunt quoad fieri potest, in sensu proprio, literali, & historico: non autem in mystico aut allegorico. Estque prorsus incredibile Moysèm, cætera quidem in toto Pentateucho historicè narrasse: mundi vero creationem, & distinctionem diesum, atque ordinem seruatum in rerum productione, allegoricè proposuisse cum tanto errandi periculo, ut omnes fideles in errorem induxerit. Nam omnes Patres & Interpretes Catholici literaliter eius verba intelligunt, vno aut altero excepto, sicut patebit ex sequentibus.

8. Probatur secundò efficaciter, quia Exodi 20. à vers. 8. ad 12. Deus populo Iudaico sic præcipit: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die requiesces: quia Dominus Deus tuus sex diebus operatus est, & die septimo requieuit.* Quibus verbis causa cur liceret operari sex diebus, non autem Sabbatho sanctificando, asseritur, quia voluit Deus homines, ipsum imitari, in eo quod sicut ipse in mundi creatione, sex diebus operatus est, & septimo, qui fuit dies Sabbathi, requieuit: sic &c. Atqui illa causa friuola est, ruitque comparatio & vis argumenti, sub lato sensu historico. Nulla enim est proportio inter hæc duo, si Deus omnia condidit simul & vnico instanti. In eademque periodo nomen, *Dies*, sumitur valde æquiuocè, si in prima eius parte sumitur proprie, pro die naturali vel artificiali, in secunda verò improprie, pro vno instanti indiuisibili.

9.  
Contra-  
tur an-  
tiorum Pa-  
trium.

Probatur tertio, quia sancti Patres (à quorum conuentione sensu in Scripturæ expositione recedere prohibet Trident. sess. 4. in Decreto de editione & usu sacrorum librorum §. *Præterea*) verba illa intelligunt communissimè in sensu historico: & grauitèr capunt Originem, errorisque damnant, quod ea quæ dicuntur in Genesi de Paradiso, de formatione aquarum, lucis, Adami, Eux, & aliorum, ad sensus spirituales & mysticos transferant, reiecto literali & historico. Ex eodemque sensu historico, tanquam certissimo, iidem Patres & Concilia arguuntur contra Manichæos, similesque hæreticos, ad prædicandum creaturas omnes, etiam corporales, esse bonas, esseque omnes à Deo. Eorum testimonia videri possunt apud Pererium lib. 1. in Genesi aliosque omnes Interpretes Catholicos: qui omnes, præter vnum aut alterum audaciorum, in eo consentiunt. Neque dissentit D. Augustin. sensum literalem quoad fieri potest, retinen-

Aug.

dum esse. Nam id expressè affirmat libro 8. de Genesi ad litteram cap. 1. &c. excusatque seipsum, quod alias multa in sensu mystico explicauerit, eò quod literalem non inueniret. Si quis omnia literaliter explicare possit; non illi esse inuidendum, sed eum habendum ut præcipuum & maxime laudabilem intellectorem.

Probatur quartò ex sensu totius Ecclesiæ Latinæ, quæ sensum literalem & diuini distinctionem agnoscit, cum sic canit in hymno Officij diuini diei Dominice:

*Primo die, quo Trinitas  
Beata mundum condidit.*

Et feria secunda refert similiter in hymno huius diei aquas fuisse diuisas in triecium firmamenti: & alia deinceps singulis diebus accommodat eodem modo, & ordine, quo narratur à Moysè. Idem Ecclesiæ sensus manifestè patet ex Concilio Lateran. cap. *Firmiter*, de Summa Trinit. & fide Catholica, ubi inter alios fidei articulos dicitur, *Deum ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritalem & corpoream, Angelicam scilicet & mundanam: Deinde humanam, quæ communem, ex spiritu & corpore constitutam.* Vbi vox, *Deinceps*, successione temporaneam significat, ut ostendens paulò post, in fine creationis loquentis.

Denique constat ex Scriptura fuisse prius tenebras super faciem abyssi, quàm lucem, Genesi. 1. vers. 2. & terram fuisse prius inanis & vacuum, quàm herbas, arboribus, & animalibus cooperatam, eodem versu, iunctis versibus. 11. 12. 24. & sequentibus. Prius terram fuisse operatam aquis, quàm die secundo Deus aquas congregaret in locum vnum, ut appareret arida, plantisque & animalibus terrestribus focum daret, ibidem v. 9. Quæ omnia simul in eodem instanti fuisse, volunt Aduersarij, est euidenter impossibile. Implicat enim esse eodem instanti lucem & tenebras, id est, esse lucem & non esse lucem in eodem subiecto. Et terram simul esse operatam aquis, & non esse operatam. Constat etiam Deum in mundi creatione quædam fecisse ex aliis, ut ex terra herbas, arbores, & animalia terrestria: ex aqua, pisces & volucres: ex ligna terra Adamum, & Euam ex eius costa: ibidem vers. 11. & sequentibus. Ergo terra præexistit herbis, arboribus, & animalibus terrestribus: ea formatis per conuersionem. Alioquin eodem instanti fuisset simul & non fuisset terra. Fuisset: quia ex illa factum est aliud. Non fuisset: quia quo instanti est conuersio, non est terminus à quo, sed ele finit esse quod antea erat, & incipit esse terminus ad quæ. Idemq; dico de aqua & aliis, ex quibus ea quæ diximus fuerunt producta. Neq; vlla potest reddi ratio solida, cur si omnia simul & eodem instanti fuerunt à Deo creata, Moyses ordinem illum seruauerit, narrandi primò productionem cæli & terre ac lucis, ante firmamentum factum die secundo, & ante creationem solis, & lunæ, & stellarum factam



die quarto, vt videbimus sect. sequenti. Ad hæc si reliqua, quæ sex diebus narratur facta, fuerunt primo instanti producta simul omnia: ergo homo pariter fuit eodem instanti productus. At hoc est contra Scripturam Genes. 2. v. 5: Non enim pluerat Dominus super terram, & homo non erat qui operaretur terram. Ergo terra erat prius, quam formaretur homo qui eam coleret. Item si homo fuit instanti illo creatus: ergo & femina, cuius creatio fuit vnica ex operibus sex dierum, iuxta illud Genes. 1. vers. 27. de die sexto: Et creauit Dominus hominem: masculinam & feminam creauit eos. Sed hoc repugnat Scripturæ affirmanti fuisse hominem aliquo tempore, quo nondum femina formata erat, Genes. 1. vers. 20. Adæ vero non inueniebatur adiutor similis eius. Propter quod dixit Deus vers. 18. Non est bonum esse hominem solū: faciamus ei adiutorem similem sibi. Et vers. 21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnā de costis eius, &c.

SECTIO III.

Refutatio contraria sententia.

Phil. Contrarium senserunt Philo Iudæus in titulo libri 1. allegor. vbi ait, Rusticanam simplicitatis esse putare sex diebus, aut vti que certo tempore mundum esse conditum: Procopius in Genesim, dicens Moysen distinxisse mundi creationem in sex dies, vt se nobis accommodaret, qui aliter tantam rerum multitudinem & varietatem, earumque ordinem concipere nequiuissimus: & D. Augustin. lib. 4. de Genesi ad lit. à cap. 21. vsque ad finem libri: & lib. 3. cap. 8. & sequent. & lib. 12. Confess. cap. 8. & 9. ita caput 1. Genes. interpretans, In principio creauit Deus cælum & terram, &c. vt per cælum intelligantur Angeli: per terram, materia prima informis: per mane & vespere, diesque sex, non diuersa tempora, sed idem instantans indivisibile durationis: sic tamen vt prout res productæ Angelis tunc existentibus innotuerunt in essentia diuina, siue in Verbo; fuerit mane, id est, vt ipse exponit, cognitio matutina, alteri vespertina claritate longe præcellens. Prout autem eadem res in seipsis innotuerunt Angelis, fuerit vespere, seu cognitio vespertina. Addit terram, seu materiam primam, fuisse informem, quatenus saltem prius natura erat sine forma & alio ornatu, id est, non habebat ex se formam & ornatum vllum, fuissetque sine illis, nisi à Deo accepisset: licet simul tempore habuerit. Augustinum è recentioribus sequuntur Caietan. ex parte, in cap. 1. Genes. contendens omnia quæ sex diebus facta narrantur, producta fuisse primo instanti primæ diei. Et Canus in Manuscriptis in 1. part. teste Molina disp. 1. de opere sex

dierum: vbi addit narratione dierum introductam fuisse vt melius suaderet Moyses cultum Sabbathi: debereque intelligi non in sensu absoluto, quod fuerint sex dies: sed in hypothetico, quod si Deus successiue mundum creasset, sex diebus eoque ordine condidisset. Quem loquendi modum non raro vsurpari in Scriptura, & inter homines, probat variis exemplis: vt cum dicitur 1. Tim. 2. Vult omnes homines saluos fieri: & supple si per ipsos non steterit. Et Math. 24. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non preteribunt: id est, etiam si cælum & terra transierent, verba mea implerentur. Et Psalm. 101. Opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes: id est, etiam si illi perierint, tu permaneres. Eodem modo loquendi dixit Aristoteles. de cælo cap. 2. Motum cælorum incipere ab Oriente: id est, si inciperet esse, inciperet ab Oriente: non autem quod absolute ita inceperit iuxta Aristotelem, qui motum illum ab ætere esse putauit. Et lib. 4. Phys. ait, nunc fluens efficere tempus: sicut Mathematici dicunt, punctum fluens efficere lineam, id est, si punctum flueret, efficeret tempus: si punctum flueret & vestigium solum relinqueret, efficeret lineam. Denique simili modo loquendi, quando aliquis vno die facit, id quod alij sex diebus facere solent, dicere solemus, illud esse opus sex dierum.

Adducunt autem hæc præcipue argumenta in confirmationem sue sententiæ. Primo, Ecclesiastici 1. 8. sic dicitur, Qui vivit in æternum, creauit omnia simul. Ergo non successiue sex diebus. Et Genes. 2. v. 4. Iste sunt generationes cæli & terre, quælo creata sunt in die quo fecit Dominus cælum & terram. & omne virgultu agri &c. Ergo virgultu agri factum est eodem die quo cælum & terra. Ergo non tertio die naturali. Ac proinde id quod ait Moyses Genes. 1. v. 11. de creatione herbarum & plantarum post tertio die, non est intelligendum de die naturali.

Secundum in Concilio Lateran. cap. 1. de Sum. Trin. in ipsa fidei professione, dicitur Deus simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corpoream, Angelicam videlicet, & mundanam: a deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam. Ergo saltem cætera omnia, præter speciem humanam, fuerunt simul ab initio temporis, id est, eodem instanti, creata. Ergo non firmamentum secundo die naturali: nec herba, & arbores die tertio nec sol & alstra die quarto: nec die quinto aures & pisces ex aqua: nec die sexto bruta terrestria.

Tertio, dies naturalis est vna solis circulatio, quæ viginti quatuor horarum spatio fit. Ergo quando sol narratur factus fuisse die quarto, non potest hoc intelligi de die naturali. Alioquin fuissent tres solis circulationes, antequam sol esset.

Quarto, aliqua quæ narrantur facta alijs

Aristot.

13.

Argumenta contraria sententiæ.

14.

La.



diebus, non potuerunt sine inconuenienti, nec nisi per miraculum, & contra naturalem rerum ordinem & exigentiam, seungi à prima creatione. Exempli gratia, dicitur Deus primo die fecisse cœlum, & terram, & sicem: Die autem secundæ fecisse firmamentum: & die quarto, solem, lunam, & stellæ. At hæc omnia naturaliter debuerunt simul fieri, neque potuerunt sine miraculo seungi. Debuit enim cœlum conaturaliter creati integrum, & cum omnibus suis partibus; & cœli superiores, simul cum inferioribus: ne daretur vacuum vel inter partes eiusdem cœli, vel inter cœlos aliquos & corpora sublunaria. Atque sol, & luna, & stellæ sunt partes cœli in quo sunt; in quo si tunc non fuerunt creata, fuit inter ea locus ille vacuum & inanis. Et si firmamentum non fuit creatum primo die cum cœlo, terra, & aquis; fuit vacuum inter cœlum & aquas terræ circumfusas. Item, si sol & cætera astra fuerunt primo die creata, ut debuisset iam ostendimus; debuerunt habere lucem sibi conaturalem: & miraculosum fuisse solem aliquando extitisse sine lumine. Quare non fuit successio realis inter creationem cœli, cum & in quo sol fuit simul creatus: & creationem lucis, quæ narratur fuisse producta post creationem cœli & terræ, cum interim fuisset aliquandiu tenebræ super faciem abyssi. Denique nulla conueniens ratio redditur; cur Deus qui facillimè poterat omnia condere vnicò instanti, voluerit successiue spatio sex dierum vniuersum producere, qui modus operandi minus decet ipsius omnipotentiam.

16.  
Refellitur  
sententia  
contraria  
Philonis,  
Procopij,  
& Augusti.

His non obstantibus non placet quod ait Philo Iudeus, qui præter allegorias Platonicas nihil habet dignum refutatione. Procopij verò explicatio irrationabilis est. Nam ut Moyses captiui nostro se accommodaret, non debuit dicere, factum esse successiue sex diebus, ea quæ vnicò instanti sunt creata: hoc enim non est nos docere, sed fallere & in errorem inducere. Sed debuit dicere totum vniuersum fuisse factum eodem instanti: tum singula eo comprehensa distingere, & locum explicare.

17.  
Non placet etiam recursus ille D. Augustini ad cognitionem matutinam & vespertinam. Primo, quia, ex mente D. Augustini, cognitio factitua est cognitio in Verbo, id est, in essentia Dei clarè visa, & est prior existentia rerum. Atqui si vniuersum (in quo Angeli comprehenduntur, & nomine cœli intelliguntur à D. Augustino) fuit creatum vnicò instanti; cognitio Angelorum non præcessit existentiam rerum. Ergo non habuerunt cognitionem illam matutinam. Item Angeli non fuerunt beati primo instanti sue creationis, quo tamò instanti viderant naturaliter res alias simul cum ipse creatas. Fuerunt enim Angeli creati peccabiles, & seipsa multi peccarunt, Deumque nunquam viderunt. Ergo multi illorum nunquam habuerunt cognitionem matutinam: & eadem

cognitio in illis, qui ipsam habuerunt, non fuit prior, sed posterior tempore, existentia rerum. Prius enim cognouerunt res in seipsis, quàm in Verbo. Secundò, vel fuit ordo & successio realis inter Angeli cognitiones matutinas & vespertinas, prout earum objecta narratur fuisse producta: vel fuit tantum ordo & prioritas rationis. Si primum: cur ea quæ fuerunt simul producta, fuerunt ordine tam præpostero successiue cognita? Cur non cognitus sol simul cum cælo, sol & lux cum sole, & stellæ cum firmamento, & plantæ, arbores, animalia, cum terra? Maxime verò si loquamur de cognitione vespertina, quam Angeli eliciunt viribus naturalibus ad præsentiam objectorum: cum objecta illa essent æquè præsentia, & Angeli haberent vires sufficientes ad illorum intuitionem. Quomodo viderunt abyssum prius luce carentem, posteaque illuminatam: & terram primò aquis coopertam, tum detectam: & herbas, arbores, brutaque terrestria producta ex terra: aues & pisces ex aquis; hominem de limo, & ferocem & ius colere, si hæc non ita fuerunt? Sin autem fuit tantum ordo rationis: cur narratur lux facta primo die, & sol & astra die quarto? id est, cur lux ratione prius fuit cognita, quàm sol & astra? cum secundum ordinem rationis fundatum in natura rerum, debuerint luci præmitti sol & astra, quæ sunt illius causa? Item, cur vno die tot producta, id est, tot simul cognita, & non plura, nec pauciora: maxime autem cognitio vespertina? Et quis maior ordo rationis inter illa excogitari potest, quàm inter multa alia?

18.  
Non placet denique coniectura Cani. Cum enim Deus pro sua libertate potuerit pluribus aut paucioribus diebus condere vniuersum: unde habet quòd si successiue creasset, sex diebus, & non pluribus, aut paucioribus, condidisset? Neque opus fuit Moysen falsum scribere verbo tenus, & Israelitis occasionem errandi dare, ut cultum Sabbathi illis persuaderet. Ad exempla verò quæ profert, ut probet sensum suum hypotheticum, respondeo illum quidem interdum assumi in Scriptura, & modo loquendi hominum, quando aliunde ex adiunctis, vel ex natura rei facit constat sensum propositionis absolute prolatæ hypotheticum esse. Quod in præsentibus non habet locum. Sed neque omnia exempla, ab ipso prolata, sensum habent hypotheticum. Et nullus dicit aliquem fecisse sex diebus id quod fecit vnicò die, quamuis alij soleant sex dies tantum id facere: sed dicit quidem hoc esse opus sex dierum, id est, esse tantum & tam longum, ut sex dies soleat insumere. At non dicit, neque verè potest dicere, illum fecisse hoc opus sex diebus: & primo die fecisse hæc illius partem: secundo istam: tertio aliam: & sic deinceps: quo pacto Moyses ait Deum creasse vniuersum sex diebus.

19.  
Ad primum argumentum aduersariorum respondeo, particulam simul, Græce *συν*, *σύν*



SECTIO IV.

Soluantur duae difficultates circa successionem  
& ordinem creationis.

**T**ertium & quartum arguerunt aduersariorum tangunt duas difficultates circa narrationem Moysis, quae sunt grauior- res, praecipueque mouerunt S. Augustinum, & alios supra citatos, vt a sensu literali rece- deant. Sed vt soluantur,

Nota primo, per sex dies, qui enumerantur a Moysse in mundi creatione, intelligi debere, non totidem solis circulationes; cum sol die quarto creatus fuerit, atque ab eo die moueri tantum coeperit: sed spatium vigin- ti quatuor horarum, quod partim tenebra, partim lux occuparunt successione. Ita vt praecesserint tenebrae, iuxta illud Genes. I. v. 2. *Et tenebrae erant super faciem abyssi*, quae lo- cum primae noctis & vesperi tenuerunt: tum successerit lux, vt narratur vers. 3. quae mane & reliquum diei artificialis fecerint: quae ita ex utroque spatio, tenebrarum & lucis, dies vnus integer naturalis extiterit: iuxta illud v. 5. *Et factum est vespere & mane dies vnus*, id est, primus. Qua de causa Hebraei diem na- turalem computabant a primis vespertis, id est, ab initio noctis; iuxta illud Leuit. 23. vers. 32. *A vespere usque ad vespere celebra- bitis sabbatha vestra.*

Ratio autem cur per tres primos dies qui praecesserunt creationem solis, debeant in- telligi totidem spatia viginti quatuor hora- rum quibus fuerit successio tenebrarum & lucis in hemisphario, est quia primi illi dies debuerunt esse similes sequentibus: cum tunc inchoaretur dierum series, ac vicissitu- do tenebrarum & lucis, postea semper con- tinuanda. Cur autem prima illa tenebrae, quae praecesserunt creationem lucis, debeant com- prehendi in primo die naturali & intelligi per primum vespere, ratio est quia sex die- bus Deus fecit caelum & terram, mare & omnia quae in eis sunt, & tunc requieuit die septimo, vt significat Moyses Genes. I. & clarius atque expresse affirmatur Exod. 20. vers. 11. & cap. 34. vers. 21. Ergo caelum & terra non praextiterunt ante sex illos dies. Alii qui Deus non fecisset omnia in illis die- bus, sed ante illos creasset vniuersum quo- ad maximam eius partem, nempe quoad caelum & Angelos cum eo concreatos, & quoad globum terrae & aquae. Quare tene- brae illae quae super faciem abyssi fuerunt & praecesserunt creationem lucis, compre- henduntur sex illis diebus, adeoque ad primum diem pertinent. Vnde non puto esse conforme Scripturae ad quod aiunt Pere- rius in caput. I. Genes. & Valent. disput. 5. quaest. 3. punct. 1. Primum diem incepisse a luce posteriore tenebris, & ante totos sex dies fuisse caelum & terram breui ali- quo tempore.

21.  
Quales fuerint tres primi dies ante solis creationem?

id est, communiter, pariter, & quae, significare eo scripturae locos similitatem collectionis, non temporis: & sensum esse, quod Deus aequae omnia creauit. Non autem quod eodem instanti. Neque enim omnia quae quoti- die creantur, simul tempore producta sunt. Et tamen Ecclesiasticus ibi agit de di- uina magnitudine, & potentia prout ad om- nia in quacunque temporis differentia se ex- tendit. Eodem sensu Deus Iob sic alloqui- tur: *Ecce Behemoth quem feci sicut eum*, Iob. 40. vers. 15. id est, aequae ac te. Non autem quod eodem instanti Iob, & Damon, aut Ele- phas, creati sint. Alter vero Scripturae locus obiectus ex Genes. 2. vers. 4. & 5. *In die quo fecit Deus caelum & terram, & virgultum agri*, &c. debet intelligi distributiuè: id est, in die qua creauit caelum & terram, & in die qua creauit virgultum agri, & in die qua creauit vnumquodque arborum. Vel potius & multo planius, particula, *In die*, non re- fertur ad virgultum agri, ad significandum quod Deus virgultum agri eo die quo caelum & terram creauit, sed quod virgul- tum agri nondum erat eo die, quo Deus creauit caelum & terram. Sed enim ha- bet Textus sacer: *Iste sunt generationes caeli & terrae, quando creatae sunt, in die quo fecit Dominus Deus caelum & terram. Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra.* He- braice *terem*, id est, nondum virgultum agri oriebatur in terra: *omninoque herbam regio- nis priusquam germinaret*: id est, terra non- dum germinabat herbam. Vide Cornelium a Lapide in hunc locum, vbi eodem modo illum exponit.

Cornel.

20.

Exponitur  
Lateran.

Ad secundum Respondeo, sensum Conci- lij Lateranen. esse, quod Deus simul ab in- itio temporis produxit vtramque creatu- ram: Angelicam, seu pure spiritalem; & pu- re corpoream, seu mundanam, ex praecipua & maxima parte, quatenus illo die caelum & terram & aquas, ac simul, id est eodem in- stanti, primum, & ante reliqua omnia, pro- duxit. Licet postea multa in illis contenta, sequentibus diebus successiue produxerit. Et quidem particula, *Deinde humanam*, com- parata cum alia praecedente, *simul ab initio temporis*, significat fuisse successionem tem- poraneam inter creationem vtriusque illius naturae, pure spiritalis, ac pure corporeae, & inter creationem naturae humanae ex vtra- que partem constitutae. Quam successio- nem Concilium Lateran. non aliunde habuit, ori- ginaliter saltem, quam ex narratione Moysis de hominis formatione, in sensu literali ac- cepta. Atqui par est ratio, vt quae de aliorum productione narrantur, sumantur in sensu literali: ac nisi haec ita accipiantur; non est cur magis literaliter intelligantur, quae dic- ta sunt de creatione hominis. Quare Con- cilium non negat aliorum successionem pro- ut a Moysse describitur, quia alioqui destru- eret fundamentum suae definitionis circa creationem hominis: sed potius illam cei- tam esse supponit.

Peteri  
Valent.



23.  
Lux illa  
vbi produ-  
cta

Nota secundò, lucem illam, quæ primò tres die fecit, præviòs creationi solis, fuisse lucem à Deo productam sine sole, per totum hemisphærium, successione simili illi, quæ sol sua circulatione illuminat. Fuit autem lux illa hæc sine recepte in abyfso, in qua priùs tenebræ: id est, in aquis illis, à cælo tunc creato ad terram vsque pertinebant. Non de subiecto in subiectum translata per miraculum: sed successivè in aliis & aliis abyfsi partibus producta, ut nunc producitur à sole in aliis & aliis partibus æris. Effectivè autem puto à Deo facta esse productam: quia non à sole & astris, quæ nondum erant. Et non erat aliud corpus luminosum, quod suo motu circulari vicissitudinem nocturnam & diurnam faceret. Nullum enim tale commemorat Scriptura. Et si aliquod tale fuisset; vel lux illa erat ei connaturalis, vel non. Si primum: esset nunc etiam tale aliquod corpus: quia de operibus primæ diei & reliquorum dicitur Psalm. 148. vers. 6. *Statuit ea in æternum, & in seculum seculi.* Neque tunc Deus condebat corpora quorum species mox esset destruenda, sed semper conservanda & perpetuanda. Si secundum: connaturalis est, & conformis narrationi historice, ut Deus lucem produceret immediatè in abyfso non exigente, in qua dicitur præcessisse tenebræ, potius quàm in vllò alio corpore similiter non exigente.

4.  
Damas.  
lib. 2. de fi-  
de cap. 7.

Damasenus quidem putat fuisse ignem cuius circumvolutio tres illos primos dies fecerit. Verùm ignis elementaris non sufficeret diei formandæ, sicut nunc non sufficit. Deinde tunc omnia à cælo ad terram fuerunt aquis oppleta, ut mox ostendam. Quare nullus tunc fuit ignis, nisi in terra visceribus ille qui paratus erat diaboli & angelis eius. Ab illo autem dies non fit. Adde quòd Scriptura non dicit fuisse factum vllum corpus lucidum ad efficiendum primum illum diem: sed dicit esse lucem simpliciter. Cælum etiam, quod die fuit creatum, lucem illam non fecit connaturaliter. Alioquin nunc etiam faceret. Neque placet quod ali-

D. Thom.

qui dicunt cum S. Thom. quæst. 67. art. 4. ad 2. primo die fuisse creatum solem imperfectam, qui haberet vim illuminandi in communi: die autem quarto, fuisse productum, non quoad substantiam, sed quoad vis determinatam illuminandi & agendi. Nam vis illa illuminandi & agendi in communi est intelligibilis & impossibilis. Quicquid enim est, aut esse potest, est singulare & determinatum. Estque impossibile esse, vel fieri aliquid, quod singulariter & determinatè non sit à parte rei id quòd est, & distinctum à quolibet alio. Deinde Scriptura asserit simpliciter, fuisse factum solem & astra quarto die: sicut fuisse factum hominem & bruta terrestria sexto die: & pisces auesque die quinto: & herbas & arbores die tertio. Hæc autem omnia fuerunt tunc facta quoad substantiam, & non tantum quoad

determinationem quandam, aut perfectionem accidentalem. Item Deus creavit solem primo die in statu violento & non naturali, si cum creasset sine luce, & sine vi illuminandi determinati, sibi propria & connaturali, quamque naturaliter non minus exigit, quàm ignis suam. Et denique Scriptura non dicit factam fuisse quarto die lucem dumtaxat, aut vim illuminandi & agendi: sed facta luminaria, id est, ut mox explicat, solem & lunam, aliaque astra.

Nota tertio, nomine cæli creati primo die, intelligendum esse cælum empyreum, & si quòd est aliud superius firmamento factò secunda die: ut est saltem primum mobile, iuxta communem sententiam Astrologorum. Totum verò spatium à cælo vno aut multiplici tunc creato, ad terram vsque, fuisse plenum aquis, quæ vocantur abyfso Genes. 1. vers. 2. *Nisi forte per spiritum Dei qui ferebatur super aquas. v. 2. intelligendus sit aer, inter eas & cælum interiectus, & commotus ut ventus ingens.* Sed multi hoc exponunt de ipso spiritu diuino: id est, omnipotentia diuina incubante aquis, ut fertur Hebræicus, & vim generalem ipsis imprimente. Per aquas autem, illas intelligenda est vera aqua naturalis & elementaris. Hoc enim exigit contextus historice, & proprietates sermonis. Idque significat Ecclesia in hymno Feria secunda ad vesperas, cum opus secunda diei sic commemorat.

*Immense cæli Conditor,  
Qui mixta ne confunderent,  
Aque fluentia diuidens  
Cælum dedisti limitem.*

Ex huiusmodi autem aquis, & inter illas, id est, in earum medio, factum est firmamentum secunda die, Hebræicè *raxiah*, id est, expansio. Qua voce significatur corpus interiectum inter aquas proximè circa terram relictas, & inter alias superiores tali firmamento, quod idcirco dicitur diuidere aquas ab aquis: aquas quæ erant sub firmamento, ab aquis quæ erant super firmamentum, Genes. 1. v. 6. & 7. In illo autem spatio corporeo, intermedio inter aquas superiores & inferiores, continentur cælum stellatum, & cæli Planetici, si plures sunt (puto enim probabilius, ob recentiores experientias, vnicum esse Planeticum, illudque fluidum, in quo Planetae moventur ab angelis, ut pisces in mari.) Nam sol, & luna, & stellæ, die quarto facta sunt in firmamento illo secunda die factò. Atqui sol & luna cæterique Planetae facti sunt in cælo Planetico, & stellæ in cælo superiore Planetis, quod stellatum & firmamentum vulgò appellatur. In eodem spatio continentur etiam quicquid est à cælo lunæ, seu Planetico, vsque ad terram & aquas ipsi circumfusas. Nam id omne quod est inter aquas superiores stellis, & aquas terræ circumfusas, dicitur firmamentum, siue expansio, Genes. 1. vers. 6. & 7. Atqui inter easdem aquas, & cælum lunæ seu Planeticum, est elementum aeris, & iuxta



Philosophos communiter, etiam sphaera ignis. Ergo etiam ignis, & aer, qui ibi sunt in sphaera propria, & vniuersum integrant, fuerunt creati secundo die, tanquam pars firmamenti siue extensionis illius.

27. Porro aquas illas quae fuerunt à Deo constitutae supra firmamentum esse veras & naturales aquas, probabilius esse mihi videtur. Primo; quia id postulat proprietatem verborum Scripturae Gen. 1. v. 6. & 7. quae praecipue in narratione historica retineri debet, quoad fieri potest. 2. Quia ille videtur esse sensus Ecclesiae, quae in hymno supra relato, affirmat aquas fluentes fuisse diuisa à Deo in superiora firmamento, quae pro limite caelum aliquod habent: & in inferiora, quae infra idem firmamentum, terra & aere limitantur. 3. Quia idem est communis Sanctorum Patrum consensus, vt testatur Bell. ad Psalm. 103. & 148. & fateatur Suarez, lib. 2. de opere sex dierum cap. 4. num. 9. Fauet etiam Scriptura pluribus aliis locis: vt Psalm. 148. *Laudate Dominum sol. & luna &c. laudate eum caeli caetera, id est sphaera hebraica, caeli superiores, nempe syderei, & aquae omnes, quae supra caelos sunt; illos scilicet eosque caelos sydereos.* Et Dan. 3. v. 60. *Benedicite aquae omnes quae super caelos sunt Domino.* Vbi etiam distinguuntur à nubibus, de quibus ait postea vers. 73. *Benedicite fulgura & nubes Domino.*

28. Quare non assentior Origeni affirmanti per aquas illas superiores firmamento, debere intelligi sanctos angelos, & daemones, per inferiores: quod vt fabulosum, & erroneum reiciunt Epiphanius & Basilus. Neque Suarica. supra cit. n. 20. Eugubino in Cosmopoeia Pererio in cap. 1. Gen. & aliis dicentibus aquas illas non esse alias, nisi aquas nubium, & aliarum similium impressionum, quae in aere sunt. Neque Bonauentura & Durando in 2. distinct. 24. & aliis, qui per has quosdam aquas intelligunt primum mobile, aut caelum Crystallinum, quod aqua vocetur metaphorice propter aliquam similitudinem, quam habet cum aqua naturali, quia vndique diaphanum, & pellucidum est, & eminenter frigidum, suoque influxu inferiora frige facit: vnde Saturnus ob illius vicinitatem frigidissimus est.

29. Displicent, inquam, omnes illae sententiae, quia sine ratione sufficienti recedunt à proprietate Verborum Scripturae. Neque enim magni momenti sunt, quae in contrarium opponunt auctores citati. Nam quod ait Origen. aquas illas inuitari ad Deum laudandum Daniel 3. res autem inanitate & ratione carentes non possunt conuenienter ad Deum laudandum inuitari, plane friuolum est. Sequeretur enim imbres, rorem, ventos, pruina, gelu, frigus, & caetera omnia quae in eodem hymno trium puerorum inuitantur ad Deum laudandum, esse ratione praedita. Vt patet ille modus loquendi ad declarandum affectum orantis, & cupientis vt illa omnia seruiant Dei laudi & gloriae, eo modo quo possunt. Ad id vero quod dicunt alij, aquas illas fore in statu violento, supra cu-

los sydereos: & non posse non corrumpi calore solis, & influxu aliorum astrorum, motuque caeli velocissimo: neque dici posse ad quem finem sint vitales. Respondeo sicut habita ratione maioris boni, aquae inferiores in certos alueos inclusae fuerunt, vt apparere aeterna, locumque daret plantis, & animalibus: cum alioqui naturaliter deberet aqua, vt terra leuior, toti illi supereminere, & circa illam vnde quaque sparsa circumfunditur, propter aliquod maius bonum, nobis licet incognitum, aquas illas esse supra firmamentum in loco non naturali. Esseque Deo facile earum corruptionem impedire, simili modo, quo impedit in corporibus Beatorum. Et quamuis difficile sit nobis assignare in quibus finem sint ibi constitutae: maiorem tamen esse Scripturae diuinae auctoritatem, quam ingenij humani capacitatem, vt recte ait de hac ipsa q. D. August. lib. 2. de Genesi ad lit. cap. 5. Conantur quidem Sancti Patres aliquas huius rei causas finales reddere, sed non satis efficaciter vt ostendit Suarez cap. cit. nu. 14. & sequentibus.

His praenotatis, facile est argumentis quae supersunt ex sect. precedenti respondere. Ad tertium, igitur dico, tres primos illos dies non fuisse tres solis circulationes, sed tres successiones reuelarum & lucis, durantes spatio viginti quatuor horarum, vt durat solis circulationes. Lucis, inquam, non à sole, sed à Deo productae successus per totum hemisphaerum.

Ad quartum, nego Minorem. Ad cuius probationem, dico non propterea fuisse vacuum, vel inter caelum primo die creatum, & terram: quia totum illud spatium fuit occupatum aquis. Vel intra caelum stellatum aut Planeticum: quia vtrumque fuit creatum secundo die integrum & continuum omni ex parte, sine stellis tamen & planetis, quae quarto die creata sunt ex aliquibus partibus eorundem caelorum, per conuersionem substantialem vnius formae in aliam in eadem materia.

Ad quintum, respondeo Deum creasse sex diebus, non quod citius non posset; sed vt suam libertatem ostenderet: vtque sabbati quietem praecipue designaret: & ad laudandum nos, scilicet ab imperfectioribus ad perfectiora procederent, ita ad ostendendum alius alia esse subordinata; & ad statum quorundam naturalem ea successione designandum, vel naturalem indigentiam & insufficientiam ex se, nisi ornatam & perfectionem Dei beneficio vltiori acciperent. Denique ad docendum Gentiles astra non esse Deos, quippe quae condita quarto die, post terram & aquas, aliaque multa vilissima. Ad dunt Rabbini ad praesignandum mundum sex millibus annorum duraturum. Vnus enim dies Domini, quali mille anni. Quae etiam de causa putant in prima periodo Genes. litteram Aleph (quae apud Hebraeos millenarij numeri nota est) additis quibusdam punctis) fuisse sexies à Moysse repetitam, non sine mysterio.

Epiphanius in epist. ad Ioan. Heterosolymit. Basil. homil. 3. Heterosolymit.

Refutatur alia sententia.

30. Argumenta contraria.

31. Quae Deum mundum successus reuelat.

